

catione per aerem, qui est vita omnium spirantium adumbrata. Similiter & Erasmus in annotationibus suis duo liquidiora elementa aquam & aerem a Christo proposita philosophatur, ut cœlestem generationem a terrestri & crassa distingueret. Quam explicationem non minus ac illam de mortificatione ac vivificatione spirituali a Christi mente alienam judicat Calvinus in suo ad Johannis evangelium commentario. Postquam enim dixisset nonnullos sub aquæ nomine veteris hominis abnegationem, & per spiritum novam vitam intelligere, subjicit: *alii tacitam antithesin subesse putant, quasi aquam & spiritum pura scilicet & liquida elementa Christus terrestri & crassæ hominum naturæ opponat. Ita allegorice hoc accipiunt dictum, quasi juberet nos Christus gravem & onerosam carnis massam exuere, & fieri aquæ & aeri similes ut sursum tendamus vel saltem non ita degravemur in terram.* Sed utraque opinio mihi aliena videtur a Christi mente. Alibi q) tamen Brentius per aquam baptismi sacramentum & simul totum externum evangelii ministerium, per spiritum vero non alium intelligit quam Spiritum Sanctum, qui per bapti-
fnum donatur & hominem renovat.

p) pag. 804. q) homil. 25. in Evangel. Johan. p. 134. 135.

§. XIX.

Videmus ergo verba Christi ad Nicodemum variis rationibus exponi, & longe plures addi possent, si quomodo fanatici quidam illud Christi oraculum interpretati fuerint, re-censere operæ pretium videretur. Verum deliriis istis, quo-rum aliqua a Becmanno r) referuntur, commemorandis supercedemus, & potius notamus ex ipsis Christi verbiis aliis-que circumstantiis abunde colligi posse, quod Christus in illo dicto de baptismi sacramento locutus fuerit.

r) exercitat. theolog. 21. p. 380.

§. XX.

Loquebatur Christus cum Nicodemo uno ex Phari-
sæis, qui carnali generatione ex Abrahami prosapia inflati
confi-